

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

STATISTICES APUD VETERES  
VESTIGIIS ET FONTIBUS,

38.

---

CUJUS

PARTEM PRIMAM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, Societ. Oecon. Imp. Fenn. atque  
Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &  
Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,*

VENTILANDAM,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

PROPONIT

**FREDRICUS RÖNNBÄCK,**

*Stipendiarius Bremerianus, Satacundensis,*

In Audit. Philosoph. die XXVII Maji MDCCCXV.

h. a. m. consuetis.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELIANIS.

*descriptionem*, ANTONIO Oratore postulante (a), desiderare haud immerito putabatur. His disciplinis implicitam, aut verius impeditam, non potuisse illam antiquorum ævo ad id, quod hodie tenet, fastigii ascendere, miretur nemo, qui noverit, mutuari quidem artium alteram ab altera, immo a pluribus, egregia subsidia, sed esse tamen cujusque campum, ut plenam det messem, separatim colendum, nec aliam alii ita subjiciendam, ut pro mera hujus appendicula habeatur.

Tribui a plerisque solet Statistices non nomen quidem, sed instruendæ seorsumque tractandæ laus, ingenioso atque elegantioris doctrinæ fama celebrato Itatorum polygrapho FRANCISCO JACOBI SANSOVINO, qui, edito, a. 1567, Venetiis, opere *del Governo ed Amministrazione di diversi Regni e Republiche, cos antiche come moderne*, multa proposuit scitu digna, etiam talia, quæ secretiore aliquamdiu Relationum a Legatis Venetis scriptarum fide nitebantur. Arguitur tamen idem angustiores justo constituisse novæ disciplinæ fines, quos contra prolatasse nimis judicantur alii; dictumque jam a nobis fuit, haberi eosdem vel hodie ambiguos. Rem si non acutius, at proxime attigisse saltem, videtur Amplisf. C. P.

---

a) Apud CICERONEM de Oratore L. II, c. 15 f. 63, cfr. Orat. c. 20 f. 66.

C. P. HÅLLSTRÖM, Statisticae objectum ita simul & ampliando & coarctando, ut ea nec plus nec minus comprehendi velit, quam quod ad civitatis aut utilitatem opportunitatemque aut harum contraria pertineat, definiendoque propterea Statisticen per scientiam in rerumpublicarum chorographia, proventibus, incolarum ingenio, natura, numero, quæstibus, & tota civili administratione eo usque occupatam, quatenus ad robur civitatis & commoda vel adjuvanda vel imminuenda aliquid hæc habent momenti: in cuius igitur Viri hac de re commentatione (*b*) quod desideremus vix haberemus, nisi in eandem sententiam nondum consensisse omnia Academiæ, cui disceptanda permisa illa fuerat, membra, sed sub ulteriore iudicio pendere quæstionem, significatum posterius fuisset (*c*). De cuius autem Scientiæ ambitu & regionibus accurate determinandis inter doctos parum hucusque convenit, de ejus tamen insigni utilitate & pretio diu fuit prudentibus quibusque rerumpublicarum rectoribus & ministris atque consiliorum publicorum auctoribus persvasissimum.

A 2 In-

*b*) Kongl. Svenska Landtbruks-Academiens Annaler 1813, pagg. 188—198. Cfr. OL. KOLMODIN & CAR. MEURLING *Conspectus Statisticae*, Ups. 1808, p. 1, 6.

*c*) Kongl. Svenska Landtbruks-Academiens Annaler 1814, pag. 29 sq. Diu, ut putamus, pendebit hæc quæstio, aut certe, propter contiguas in primis Geographiæ & Historiæ cum Statisticae fines, paucis suffragiis dirimetur.

In liberis namque, ut erant florentissimæ Veterum, civitatibus cum, a fraude & aperta vi si discesferis, tantum polleret quisque, quantum non solum popularitate, sed ingenio, facundia &, qua hæc carere nullo modo potest, maximarum rerum scientia valeret, facile erat perspectu, nec a prudentioribus patriæque amantibus oblivioni unquam traditum, esse, ad consilium de republica dandum, caput, nosse rempublicam, atque ad LYCURGI & SOLONIS exemplum, sollicitè discendam imperii causam, singulasque ejusdem utilitates & partes diligenter exquirendas (d). Harum igitur rerum ignaros censebant, & rectè quidem, a publicis rebus tractandis omnino arcendos: qua de re illustris est SOCRATIS apud XENOPHONTEM (e) disputatio, GLAUCONEM ARISTONIS filium a temerario hujusmodi negotiorum capesendorum proposito ita avocantis, ut peculiari illa ab ipso nominata arte fateri illum cogeret, se neque de rebus civitatis, nec de sumptibus ei faciendis, nec de ipsius aut hostium ad bella viribus, nec de præsiidiis, nec de argentifodinis, nec de annona & necessaria frumenti copia novisse quidquam. Contra SAL-

LU-

---

d) CICERO de Orat. L. II. c. 82 f. 337. cfr. L. I. c. 11 f. 48. c. 13 f. 58. c. 14. f. 60. c. 34 f. 159. c. 48 f. 211. de Legg. L. III. c. 4 f. 11. c. 18 f. 41. &c.

e) *Ἀπομνημονεύμ.* L. III. c. 6.

LUSTIUS (aut quisquis nomen ejus usurpavit), in  
2:da ad CÆSAREM Epistola de Republica ordinanda,  
hæc habet: *Sed mihi studium fuit adolescentulo rempub-  
licam capesere, atque in ea cognoscenda multam ma-  
gnamque curam habui; non ita, uti magistratum modo  
caperem, — — — sed etiam uti rempublicam domi mi-  
liticæque, quantumque armis, viris, opulentia posset,  
cognitum haberem.* Quod autem sibi proxime, nec  
injuria, vindicarunt metropoles, id neque in provin-  
ciarum & sociorum, quin & hostium ratione noscen-  
da desiderari commode aut potuit aut licuit. Erat  
hæc illa *provincialis scientia (f)*, quam ut in QUINTO  
fratre, Asiam alterum annum regente, tantam po-  
stulavit M. CICERO, ut ipsi jam Asia, sicut unicui-  
que sua domus, nota esse deberet (g), ita & ejus  
vel a Verrinæ causæ judicibus rationem haberi vo-  
luit diligentem (h). In summa autem rei necessita-  
te (i) non defuisse discendæ subsidia, tanto est ad in-  
tel-

---

f) CICERO ad Q. fratrem L. I. ep. I. c. 7.

g) Ibidem cap. 16.

h) In Verrem Act. II. L. II. c. 1 f. 2.

i) *Nunc reipublicæ Prusensium impendia, reditus, debitores  
excutio, quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium  
intelligo; PLINIUS Minor (ad TRAJANUM) L. X. ep. 28.  
Rationes autem in primis tibi rerumpublicarum excutiendæ  
sunt; TRAJANUS Eidem, ibidem Epist. 29,*

telligendum facilius, quanto & paucioribus licuit, ad instar herois illius Ithacensis, multorum hominum videre urbes nosseque ingenia, & difficilius fuit celebribus itinerum passibus ad interiora pervenire exquisitioris cognitionis penetralia. Quæ igitur illorum in Romana, de qua proxime locuti sumus, gente adfuerint, paucis, age, jam dispiciamus.

Interiisse multa Romulæ gentis monumenta, non uno loco querantur Historici, factumque id dicunt in primis in Gallica urbis calamitate (*k*): sed sunt in iis, quæ ad Statisticen pertinent, mutabilia multa & alio tempore aliter se habentia; in quibus igitur, quam in Historiæ propriis, minus lugenda ista fuit jactura. Quæ ad præsentium rerum necessitates propius spectarent, eorum nova quotannis congregabantur in suis cujusque generis Tabulariis asservanda: quo pertinebant Libri Censuales & Magistratum, Pontificum Commentarii, Fasti, Prætorum Edicta, Ædilium, Tribunorum plebis, Quæstorum, Magistrorum Pagis præfectorum (*l*), Publicano-  
rum

---

*k*) LIVIUS L. VI. c. 1. CLODIUS (vetustus Romanorum Historicus) apud PLUTARCHUM in Numa c. 1. De simili Tabularii publici per Italici belli tempora fato loquitur CICERO pro Arch. c. 4 l. 3; de Capitolii incendio, quo tria ærearum tabularum millia conflagrant, SVETONIUS in Vespasiano c. 8 l. 13, TACITUS Hist. L. III. c. 72.

*l*) DIONYS. *Halic.* Ἀρχαιολ. Ῥωμ. L. II. c. 78. L. IV. c. 19.

rum (*m*) Tabulæ, Exportatarum rerum scriptæ Rationes (*n*), Diurna urbis Acta (*o*), & alia. Erat quidem tempus, quo hæc plebejis non paterent (*p*), sed post communicatam ab anno urbis 388 cum his quoque consularem dignitatem, promiscui fuisse usus videntur. His accedebant & alia, aut in perpetuum valitura, ut duodecim Tabularum Leges, in quarum tamen fructu laudando non potest non nimius judicari CICERO (*q*), aut ad præsentis rerum status tenorem cognoscendum facientia: quorum & hæc fuisse aliquando in vulgus proposita, exemplum docet Monumenti Ancyranum, quod, testibus partim supersticiis sui reliquiis, partim SVETONIO (*r*), indicem continebat rerum ab AUGUSTO gestarum, at neque illis talibus carentem, quæ ad interiores reipublicæ vites judi-

---

*m*) CICERO. in Verrem L. II. c. 76 f. 187.

*n*) Idem ibid. c. 74 f. 182 sq.

*o*) Idem ad Attic. L. VI. ep. 2. TACIT. Annal. L. III. c. 3. L. XIII. c. 31. L. XVI. c. 22. SVETON. Cæs. c. 20 f. 1. FLAVIUS VOPISCUS in Aureliano c. 1.

*p*) LIVIUS L. IV. c. 3.

*q*) De Orat. L. I. c. 43 f. 193. c. 44 f. 195.

*r*) In Augusto c. 101 f. 6.

judicandas haberent momentum (s). Eandem rem propius adhuc tetigerunt, quæ Magistratibus saltem & Senatui innotuisse novimus: qualia erant Rationarium Imperii ab eodem AUGUSTO de reddenda republica cogitante confectum (t); Libellus ejusdem seu Breviarium (u) totius Imperii, quo opes continebantur publicæ, quantum esset civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones, quantumque pecuniæ in ærariis & fiscis (v); & pulcherrimum ac vetustissimum a VESPASIANO instauratum Imperii Instrumentum, complectens pæne ab exordio urbis Senatusconsulta, Plebiscitaque de societate & fœdere ac privilegio cuicumque concessis (x).

Hæc

s) Pertinent huc etiam Lapides, in primis publica auctoritate positi, de quibus igitur recte SPANHEMIUS: *Inde utique, inquit, nec aliunde ferme, petendæ fœderum formulæ; magistratuum scita, munia, discrimina; collegiorum, corporum, professionum genera, officia, rationes; multa domi militiaque instituta; principis denique gentium populi nomina, ætates, tribus, singula publicis quasi tabulis descripta.* De usu & præstantia Numismatum antiquorum, Disf. XIII. p. 515.

t) SVETONIUS in Augusto c. 28 f. 1.

u) *Quod nunc vulgo Breviarium dicitur, olim, cum latine loqueremur, Summarium vocabatur;* SENEC. Epist. 39.

v) SVETON. in Augusto c. 101 f. 6. TACIT. Annal. L. I. c. 11.

x) SVETON. in Vespasiano c. 8 f. 13.



Hæc commemorantibus fileri haudquaquam fas  
 esset frequentes illas statum atque habitum & Roma-  
 næ civitatis & provinciarum noscendi occasiones,  
 quas talia scire aventibus præbebant judicia publica,  
 in primis illa de Peculatu & Repetundis. Intelligi  
 hoc potest ex Agrariis CICERONIS in Rullum, & ma-  
 gis etiam ex Verrinis, e quibus non solum in uni-  
 versum de fertilitate Siculi soli (L. II. c. 2 f. 5.) &  
 Ætneſis præfertim ac Leontini agri (L. III. c. 18 f.  
 47. c. 44 f. 104. c. 46 f. 109), atque de Sicularum  
 moribus (L. II. c. 3 f. 7.), verum & de præcipuo  
 istius insulæ fructu, frumento (L. III. c. 5 f. 11. c. 19  
 f. 48. c. 97 f. 226), de eo quod inter Siciliam cete-  
 rasque provincias in agrorum vectigalium ratione in-  
 tererat (L. III. c. 6 f. 12. c. 11 f. 27), de decumis in-  
 de pendi solitis aut extortis (ibid. c. 37 f. 84. c. 38  
 f. 86. c. 44 sq. f. 106 sq. c. 46 f. 110), de numero  
 jugerum consistorum (ibid. c. 47 sq. f. 113. c. 49 f.  
 116), de legis Hieronicæ statuto, ut numerus arato-  
 rum quotannis apud magistratus publice subscribere-  
 tur (ibid. c. 51 f. 120), de Enneſis urbis & nemoris  
 amœnitate atque commoditatibus (L. IV. c. 48 f. 106  
 sq.), de Syracusarum urbis descriptione (ibid. c. 52  
 sq. f. 117 sqq.), quin & de mensuris plebis Romanæ  
 cibariis (L. III. c. 30 f. 72) multa discuntur. Legitur  
 in Agrariis, de Romæ situ atque uberibus campis  
 (II. c. 35 f. 96), de infructuoso Ligurum, opimo  
 Campanorum agro (I. c. 6 n. 18. II. c. 28 f. 76. c. 29

f. 79 sq. c. 30 f. 82 sq. c. 33 f. 89. c. 35 f. 95 sq. III. c. 4 f. 16), de publico populi Romani extra Italiam (II. c. 15 f. 38), de agro Corinthiorum fructuosissimo & optimo (I. c. 2 f. 5. II. c. 19 f. 51.), de Mitylenarum agris jucundis & fertilibus (II. c. 16 f. 40), de agris Macedoniæ, Bithyniæ, Paphlagoniæ, Ponti, Cappadociæ regiis (I. c. 2 f. 5 sq. II. c. 15 f. 40. c. 19 f. 50 sq.), de terræ in Ægypto bonitate & omnium rerum copia (II. c. 16 f. 43.), de Hiempsalis in ora Mauritanæ maritima agris (II. c. 22 f. 58), aliisque ejusmodi. Constat ex Oratione pro FONTEJO portorii vinarii in Gallia (c. 5 f. 9), ex Oratione pro FLACCO pecuniæ apud Temnios erogandæ ratio (c. 19 f. 44), simulque sapiens Masiliensium disciplina atque gravitas (c. 26 f. 63). At his quanto plura erant illa, quæ Romæ & crebrius & plenius audire licuit & legere!

Ex hac jam tanta tamque ubere Statistices adornandæ materia, quæ nec in aliis, cultioribus saltem & recte atque ordine administratis gentibus defuisse censebitur (y), quod istiusmodi componere opus vix ten-

---

y) NABIS ipse, sævus quondam Lacedæmoniorum Tyrannus, civibus, quos emungere pecunia volebat, solitus erat exponere, quantum stipendiariorum numerum salutis publicæ causa aleret, quantosque in ceteris reipublicæ negotiis faceret sumtus. POLYB. L. XIII. c. 5.

tentarit quisquam, plene composuerit nemo, mirum est minus quam videtur. Ut enim *non est eloquentia ex artificio, sed artificio ex eloquentia natum* (z), sic fuit & Statistice mente ac facultate prior quam scripto: quo elaborandæ illi id forsitan maxime obstitit, quod est a CICERONE dictum, *veteres verbo tenus, acute illos quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de republica disseruisse* (a). Cum nempe valde raro essent ipsorum Philosophi in republica gerenda occupati, subtiliter magis & universe, quam pragmaticæ & instructæ atque ad certæ cujusdam civitatis disciplinam accommodatæ, sua proponere siveverunt placita. In Politicorum ARISTOTELIS Libris ut universalialia potius continerentur socialis & publici juris præcepta (sed experientiæ tamen plus multo, quam Platonica illa, tribuentia), quam ad hanc illamve civitatem accuratius noscendam comparatas doctrinas, tulit ipsa rei ratio secum: sed desiderari & ibi multa, quorum in republica quavis bene ordinata magna est necessitas, questi sunt complures, & in his maxime Giesfenæ quondam Academiae Professor JOH. NIC. HERT (b); quod tamen non impedit, quominus & ibi multa legantur ad rerumpublicarum ve-

B 2

terum

---

z) CICERO de Orat. L. I. c. 32 f. 146.

a) De Legibus L. III. c. 6 f. 14.

b) In Elementis Prudentiæ Civilis P. II. Sect. I. § 1.

terum notitiam pertinentia. Uberior fortasse fuit Idem in suis Πόλεων ἢ Πολιτείαις, quod opus spectasse videtur CICERO, cum diceret (c) traditos ab ARISTOTELE esse omnium fere civitatum, non Græcice solum, sed etiam Barbaricæ mores, instituta, disciplinas: verum ne & illud parcius in ipsa introspexerit administrationum arcana, eo subest justior verendi causa, cum & ipse ΧΕΝΟΡΗΘΝ, quantumvis is fuisset in publicis negotiis versatus, in suis de Lacedæmoniorum Atheniensiumque Πολιτείαις libellis, pariterque in illo, qui Πόροι ἢ περὶ Προσόδων inscribitur, in generalibus fere manserit, plurimæque omiserit ad reconditiorem Statisticen spectantia (d). Quid fuerit ab HERACLIDE PONTICO in ipsius περὶ Πολιτειῶν opere (si singulare & separatum id fuit opus) præstitum, e paucissimis ejusdem jam superstitis nec alienarum

c) De Finibus B. & M. L. V. c. 4 f. 11.

d) Notari tamen merentur, ex *Lacedæmoniorum Πολιτεία*, locus de ferrea moneta (c. 7); ex *Atheniensium*, de imperio urbis maritimo ejusque opportunitatibus (c. 2.), de tributorum indictione plerumque quinto quovis anno fieri solita (c. 3.); e *Πόροις*, de Atticæ natura, climate & solo, de ingente laxi, ex quo fana & aræ pulcherrimæque Deorum signa fierent, compluribusque & Græcis & Barbaris desiderati copia, de Argentifodinis adeo divitibus, ut nec profunditatis nec cuniculorum finem fosfores invenirent, de portuum commoditate, atque de ubere rerum commercii inservientium proventu (c. 1, 3, 4.).

rum a proposito rerum admixtione vacuis fragmentis haud certo colligitur; videntur hæc, sub civitatum quadraginta duarum titulis vel hodie comparentia, historiam magis, eamque mythis refertam, sapere quam diligentius excuslas rerumpublicarum illius temporis rationes, sed interlucent & ibi nonnulla, quamquam brevius proposita, de σεισαχθεία SOLONIS, de Spartanorum victu & moribus, de educatione Cretensium, de Corinthiorum vectigalibus, de Cocorum salubri coelo, de Peparetho ferace vini, arborum, frumenti, Amorgo vini, olei, fructuum, Cythera ficuum, mellis & vini, de Magnetum & Colophoniorum terra plana atque campestri hincque equis nutriendis inserviente, de legibus Jasensium sumtuariis, de Thespiorum ignavia & paupertate, aliaque ejusmodi. ΔΙCÆΑΡΧΗ, montium dimensoris, virique mirabilis & ἰσοριωτάτε (e), perierunt Σπαρτιατῶν, Πελληναίων, Κορινθίων, Ἀθηναίων Πολιτεῖαι: e Βίῳ Ἑλλάδος & metrica τῆς Ἑλλάδος Ἀναγραφή fragmenta supersunt, & hujus quidem mere geographica; illius, si qua alia, pura atque a mythicis & historicis libera, nec tamen veram Statisticas ideam exhaurientia. In notandis singularum Civitatum moribus præcipuus is fuit; sed habet & alia: Athenas aquæ bonæ penuria laborare; regionem, quæ Tanagram & Oropum  
in-

---

e) PLIN. H. N. L. II, c. 65. CICER. ad Attic. L. II, ep. 2. L. VI, ep. 2. cfr. de Legg. L. III, c. 6 f. 14.

interjacebat, alba constare argilla, oleis esse constam, non abundare frumento, sed vino, quale in Bœotia nascatur, primas tenere; Thebarum agros nigri esse soli, irriguos aquis, hortis abundantes, alendis equis aptos, sed lignorum inopes; Anthedonis (Bœotiæ) tractum gracilem esse & aridum indeque frumenti parcum, piscium, purpuræ, spongiarum feracem, habitarique & navium fabricatoribus &c. Romanos inter Scriptores vix tale quidquam habetur, præter **SEXTI RUFII** de Victoriis & Provinciis Populi Romani Breviarium, Ejusdemque de regionibus Urbis Romæ opusculum, quorum tamen illud Historiæ, hoc Topographiæ est propius; & ab auctore ignoto, Theodosiano, ut creditur, ævo compositus Provinciarum Romanarum Libellus, nec ille ad interiorem harum constitutionem noscendam multum fructuosus.

